

ROGEL, Iosue 15. v. 7. Vide *Fons Rogel*.
 *ROGELIM, 2. Reg. 17. v. 27. & cap. 19. v. 31. urbs Trans-Jordanina; an in dimidia tribu Manasse, an in tribu Gad, non satis liquet.
 ROHOB, Num. 13. v. 22. Num una fuerit *Rohob* bis posita, Iosue 19. v. 28. & 30. num sit duplex in locis citatis, ac utraque in tribu Afer, disputatur. Eam vel earum unam Levitis fuisse assignatam, legimus, Iosue 21. v. 31. & 1. Paral. 6. v. 75. Indè pristinios habitatores non potuerunt expellere Aferitæ, Iudic. 1. v. 31.
 ROHOBOOTH, Gen. 36. v. 37. fluuius, iuxta quem & civitas eiusdem nominis, quam S. Hier. in locis *Roboath* nominat; & usque hodie, dicit idem, est præsidium in regione Sabalene, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur.
 ROMA, 1. Mach. 1. v. 11. in libris Machab. & in Act. Apost. frequentius occurrit. Nota urbs, olim imperii caput; nunc Pontificia sede, & spirituali totius Ecclesiæ imperio multo nobilior.
 ROOS vel RHOS, LXX. 2. Reg. 15. v. 32. & cap. 16. v. 1. Verumtamen non de arce vel urbe quadam ibi sermo est, sed de vertice montis Oliveti; significat enim hæc vox *רֹשׁ* *Rosh* Hebræis caput, verticem, summitatem.
 RUBEN, tribus, quæ nomen sortita est à primogenito Iacob & Lia. Trans Jordanem fuit Australis eius ditio, utpote inter torrentem Arnon ad Meridiem, & Iazer ad Septentrionem, & montes Galaad ad Orientem, & Iordanem ad Occidentem, sita.
 RUMA, Iosue 15. v. 52. & sæpius, urbs in tribu Iuda.
 RUMA, Iudic. 9. v. 41. urbs in tribu Ephraim.

S

SAANANIM, Iosue 19. v. 33. regionis vel populi nomen ad radices montis Antilibani, quantum ex citato loco colligi potest.
 SAARIM, 1. Paral. 4. v. 31. eadem quæ fortè Iosue 15. v. 36. *Saarim* appellatur, ubi etiam inter urbes tribus Iudæ recensetur.
 SABA, Psalm. 71. v. 10. In Arabia Felice est thurifera ac aromatum ferax regio, in qua videtur regnasse illa regina Saba, quæ ad visendum Salomonem venit, 3. Reg. 10. v. 4. & seqq. Altera est *Saba*, pars Æthiopiæ & Africæ, quæ ad Ægyptum ex interiore Æthiopia vergit, comprehendebatque *Meroen*, *Syencem*, & adjacentes regiones. In Hebræo ambæ distinguuntur, prior enim in *Arabia*, Hebræicè scribitur per *ש*, & altera *Æthiopia* per *ד*.
 SABAIM, Isaïæ 45. v. 14. videtur Boniferio esse nomen patronymicum & gentile, à posteriore Saba Æthiopia; nam Hebræicè scribitur per *ד*, & Æthiopiæ coniungitur. *Sabaim* verò 2. Eldræ 7. v. 59. videtur, præsertim in lectione nostra, esse nomen proprium viri.
 SABAMA, Num. 32. v. 38. & Iosue 13. v. 19. urbs cis torrentem Arnon, in tribu Ruben. Adiuncta est regioni Moabitum, ut ex Isaïæ 16. v. 8. & 9. & Ierem. 48. v. 32. colligi potest. Vinciarum fuit ferax eius ager; indè apud illos prophetas mentio fit *Vinea Sabama*.
 SABAN, Num. 32. v. 3. non est à priori *Sabama* distincta, in eadem quippe regione Trans-Jordanina sita est, & eodem modo per *ד* in fine scribitur.
 SABARIM, Ezech. 47. v. 16. constituit terminus Damasci & confinium Emath, hoc est *Terræ Emath*.
 SABARIM, Iosue 7. v. 5. iuxta Hai, in tribu Benjamin locus, ad quem fugerunt Israëlita, terga vertentes incolis Hai.
 SABEE, Iosue 19. v. 2. locus in tribu Simeon, quem Nicol. Sanson cum *Berfabee* confundit.
 SACHACHA, Iosue 15. v. 61. urbs in tribu Iuda.
 SADEMOTH, LXX. 4. Reg. 23. v. 4. ubi & ei altera vox *Cedron* adiungitur; & nostra versio pro *Sademoth Cedron*, habet *Convallem Cedron*; significat enim vox *שַׁדְמוֹת* *Schadmoth*, regiones, planities, campestris.
 SALABONI, 2. Reg. 23. v. 32. & 1. Paral. 11. v. 32. patria Eliabæ, unius è fortibus Davidis; videturque fuisse

oppidum, vel vicus ignobilis, utpote cuius alibi nusquam fit mentio.

SALAMINA, Act. 13. v. 5. urbs Cypri.
 SALEBIM, Iudic. 1. v. 35. urbs Danitarum, quæ Iosue 19. v. 42. *Selebin* dicitur, atque nomen sortitur à vulpibus.
 SALECHA, Iosue 13. v. 11. quæ & Deut. 3. v. 10. & 1. Paral. 5. v. 11. *Selcha*, extremus terminus Og regis Bafan, qui cum tota regione postea celsit dimidiæ tribui Manasse Trans-Jordaninæ. Textus citatus in Paralip. videtur exigere ut statuatur versus montem Hermon in limite Australi.
 SALEM, Gen. 33. v. 18. civitas Sichimorum, & eadem cum *Sichem*, ut probatur ex textibus Gen. 33. v. 18. & 19. Iosue 24. v. 32. & Ioan. 4. v. 5. inter se collatis.
 SALEM, Gen. 14. v. 18. ipsa est Ierusalem. Vide *Ierusalem*.
 S. Hier. in locis Hebræicis ponit alteram *Salem* prope Scythopolim; sed non distinctam à *Salim*.
 SALIM, Ioan. 3. v. 23. iuxta quam erat Ennon locus, ubi Ioannes baptizabat: non procul Scythopoli aberat. Atque adeo erat in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, uti eam reponit Adrichom. & distincta à *Salem* seu *Sichem*. Vox *Salim*, vulpes significat.
 SALIM, 1. Reg. 9. v. 4. S. Hier. in locis ponit hanc esse villam in finibus Eleutheropoles contra Occidentem, quæ proinde in tribu Dan fuit.
 SALINARUM VALLIS, 2. Reg. 8. v. 13. Vide *Vallis Salinarum*.
 SALIS CIVITAS, Iosue 15. v. 62. Vide *Civitas Salis*.
 SALISA, 1. Reg. 9. v. 4. non apparet esse alia, quam Segor iuxta mare mortuum, cuius agrum illic videtur adiisse Saul. Vide *Baalgalisa*.
 SALMONA, Num. 33. v. 41. mansio filiorum Israël in deserto.
 SALMONE, Act. 27. v. 7. Orientale Cretæ insulæ promontorium.
 SALTUS, 1. Reg. 14. v. 25. & sæpius. Idem pene est ac locus. SALTUS IUXTA BETHEL, 4. Reg. 2. v. 24. creditur locus in vicinis Bethel situs.
 SALTUS CARMELI, 4. Reg. 19. v. 23. non est autem certum, loco citato & aliis ubi occurrit, *Saltus Carmeli*, significare *Saltum*, *lucum*, vel vallem montis Carmeli strictè dicti; cum nomen Carmeli, omnibus locis, vineis & arboribus fructiferis refertis, tribui solet.
 SALTUS EPHRAÏM, 2. Reg. 18. v. 6. iuxta quem Absalom cum exercitu patris sui confixit, in eodemque saltu arboris ramo adherens, transfossus est, & sepulchro conditus. Non videtur locus longè abuisse à Mahanaim, ubi David morabatur.
 SALTUS HARET, 1. Reg. 22. v. 5. locus in tribu Iuda, quod David se recepit.
 SALTUS LIBANI, præter saltum seu locum declivem circa montem Libani, extruxit Salomon Ierofolymæ palatium, 3. Reg. 7. v. 2. & frequentius, quod vocavit *domum saltus Libani*. Non est probabilis sententia, quæ palatium præfatum in ipso monte Libano vel eius valle constituit.
 SALTUS MERIDIANUS, Ezech. 20. v. 47. hunc v. præcedenti vocat propheta *Saltum agri Meridiani*. Cum tempore prophetiæ ipse esset in Babylone, respectu cuius Palestina erat in Austro seu Meridie, per Saltum Meridianum intelligit terram Israël, cui, utpote montosæ, competit nomen *salus*.
 SALTUS REGIS, 2. Eldræ 2. v. 8. idem est ac Nemus regis.
 SAMA, Iosue 15. v. 26. urbs in tribu Iuda.
 SAMARAIM, Iosue 18. v. 22. urbs in tribu Benjamin. Nicol. Sanson putat esse eundem locum cum Sabarim.
 SAMARIA, Luc. 17. v. 11. regio, à civitate primaria eiusdem nominis sic dicta, Iudæam inter & Galilæam media, tribum Ephraim, & Manasse cis Jordanem amplectitur. Ab hac regione dicti sunt incolæ *Samaritani*, qui, translatis in Assyriam Israëlitis, in eorum locum, aliis exteris, suffecti sunt, quibus postea etiam non cōtebantur Iudæi.
 SAMARIA, Mich. 1. v. 6. urbs Metropolis regionis Samariæ, in monte posita. Ipsam ædificavit Amri rex Israël, 3. Reg. 16. v. 24. ac regum Israël sedes fuit. In uberrimo Iudææ

fitam loco fuisse, testatur S. Hier. in Michææ 1. Postmodum eam *Sebasten*, id est *Augustam*, fuisse appellatam ab Herode, in honorem Augusti Cæsaris, testatur Ioseph. lib. 15. Antiq. cap. 11.
 SAMES, LXX. Iosue 18. v. 17. & ponunt *fontem Sames*: in nostra versione est *Ensemes*, id est, *Fons solis*. Vide *Fons Solis*.
 SAMIR, Iosue 15. v. 48. urbs in tribu Iuda.
 SAMIR, Iudic. 10. v. 1. & 2. locus in monte Ephraim.
 SAMIS vel SAMES, LXX. Iosue 19. v. 41. in tribu Dan. In Hebræo est *Hirsemes*, prout & hanc vocem noster Interpret in nostra versione retinet, addens, id est *civitas solis*. Distincta est à *Bethsames* in tribu Iuda.
 SAMOTHRACIA, Act. 16. v. 11. insula iuxta Thraciam in mari Ægæo, quæ eiusdem nominis habet civitatem.
 SAMUS, 1. Mach. 15. v. 23. & Act. 20. v. 15. insula in mari Ægæo, & urbs eiusdem nominis pene ante Ephesum.
 SANAN, Iosue 15. v. 37. urbs in tribu Iuda.
 SANIR, Deut. 3. v. 9. Idem cum monte *Hermon*, ut patet ex loco citato. Vide *Mons Hermon*.
 SAPHIR, S. Hier. in locis Hebræicis, villa in montanis sita, inter Eleutheropolim & Ascalonem, in tribu Iuda.
 SAPHON, Iosue 13. v. 27. urbs in tribu Gad supra Iordanem, eadem, quæ Num. 32. v. 35. *Sophan* dicitur.
 SARA vel SAREA, Iosue 15. v. 33. urbs primò tribui Iuda attributa, deinde *Sara* dicta Iosue 19. v. 41. & Danitis adscripta: in hac natus ac educatus est Samson, iuxtaque eam sepultus: *Saraa* autem dicitur in S. Textu frequentius.
 SARAA, Iosue 19. v. 50. & sæpius. Vide *Sara*.
 SARAIM, Iosue 15. v. 36. urbs in tribu Iuda; & quamvis 1. Paral. 4. v. 31. etiam *Saarim* appelletur, equidem hæc *Saraim*, & *Saarim* altera dilinguuntur. Vide *Saarim*.
 SARATHASAR, Iosue 13. v. 19. urbs in tribu Ruben.
 SARDES, Apocal. 1. v. 11. ubi una de septem Asiæ Ecclesiis vocatur *Sardes*, & etiam memoratur cap. 3. v. 1. & 4. urbs est in Asia, sive in Lydia, Asiæ Minoris parte.
 SAREA, Iosue 15. v. 33. Vide *Sara*.
 SARED, Iosue 19. v. 12. Vide *Sarid*.
 SAREDA, 3. Reg. 11. v. 26. urbs in tribu Ephraim, natalis patria Ieroboam filii Nabat Ephraim. LXX. in Romano Codice eam urbem, mutato elemento, vocant *Sariva*, eamque 3. Reg. 12. v. 2. in monte Ephraim constituit.
 SAREDATHA, 2. Paral. 4. v. 17. videtur fuisse locus vel urbs trans-Iordanem, in tribu Gad. Planè sit verisimile, non esse urbem aliam à *Sariban*, quandoquidem ex 3. Reg. 7. v. 46. vasa ænea templi Salomonici fuerunt fusa inter *Socoth* & *Sariban*, quæ 2. Paral. 4. v. 17. fusa leguntur inter *Socoth* & *Saredatha*.
 SAREPHTA, 3. Reg. 17. v. 10. Oppidum est inter Tyrum & Sidonem situm, in Phœnicia, ad mare Mediterraneum, duobus à Sidone versus Austrum milliariibus.
 SARID, Ios. 19. v. 10. & eodem cap. v. 12. *Sared* appellatur, estque urbs sive locus inter mare & Cælethelabor.
 SARION, Deut. 3. v. 9. mons alio nomine *Hermon* dictus, in extremis regionis Trans-Jordaninæ ad Aquilonem finibus.
 SAROHEN, Iosue 19. v. 6. urbs in tribu Simeon.
 SARON, Iosue 12. v. 18. urbs regia. Credibile est, cum nullibi Scriptura situm urbis explicet, illam esse *Saronam*, de qua Act. 9. v. 35. quæ ibi iuxta Lyddam constituitur. Fortè est eadem, cum illa *Saron*, cuius suburbana leguntur, 1. Paral. 15. v. 16.
 SARON, Isaïæ 33. v. 9. regio campestris iuxta Ioppen & Lyddam.
 SARONA, Act. 9. v. 35. Vide *Saron* 1.
 SARTHAN, Iosue 3. v. 16. & 3. Reg. 7. v. 46. eadem, quæ 3. Reg. 4. v. 12. *Saribana* nuncupatur. Locus est, ut diximus in *Saredatha*, trans Iordanem. Nec obest textus 3. Reg. 4. v. 12. ubi dicitur: & *universam Bethsan*, quæ est iuxta *Saribana* subter *Iezrahel*. Propterea non debet excogitari altera *Sariban*, nec *subter*, seu ad radices *Iezrahel* poni, cum *ly subter Iezrahel*, referatur adæquatè ad *Bethsan*.
 SAVE, Gen. 14. v. 5. & vocatur *Save Caribaim*; est autem *Caribaim* urbs apud Moabitas, quæ postea in tribu Ruben

fuit. Cum igitur *Save* planitiem & locum adæquatam significet, hinc colligimus quod fuerit planities in huius urbis vicinia, dicta *Save*. Fortè planities hæc non fuit distincta à *Campestribus Moab*. Vult Euseb. esse civitatem nomine *Save*; sed solidè non probatur, talem existere.
 SAVE, Gen. 14. v. 17. Vide *Vallis Save*.
 SCENÆ, LXX. Gen. 33. v. 17. Vide *Socoth*.
 SCYTE, 2. Mach. 4. v. 47. Gentes Boreales.
 SCYTHOPOLIS, 2. Machab. 12. v. 30. ubi legitur nomen patronymicum *Scythopolite*. Vide *Bethsan*.
 SEBASTE, S. Hier. ad Michææ 1. Vide *Samaria*.
 SEBOIM, Gen. 10. v. 19. & sæpius, fuit una è Pentapoleos civitatibus, cum Sodoma & Gomorra incendio absumpta.
 SEBOM, 1. Reg. 13. v. 18. & 2. Eldræ 11. v. 34. urbs in tribu Benjamin, iuxta vallem, & desertum seu solitudinem Ierichuntinam. In scriptione Hebræica hæc à præcedenti non nihil differt; prior enim dicitur צְבוֹיִם, quasi dicas *inflatos*: posterior צְבוֹיִם, per quod *vinctos serpentes*, *basiliscos*, significari credunt.
 SECHRONA, Iosue 15. v. 11. locus tribus Iuda, in terminis Aquilonaribus & confinio Philistæorum; quamquam hæc omnia loca videantur postea tribui Iuda avulsa, ac Danitis attributa.
 SEDADA, Num. 34. v. 8. Ezech. 47. v. 15. locus iuxta Libanum montem, in terminis totius Iudææ Aquilonaribus.
 SEGOR, Gen. 13. v. 10. & sæpius, fuit in Pentapoli civitas minima, iuxta nominis ætymologiam, significat enim *Segor*, *parvam*, vel *minimam*, sita erat iuxta mare mortuum, post exustas ceteras Pentapoleos civitates. Vide *Baalgalisa* & *Balam*.
 SEHESIMA, Iosue 19. v. 22. locus in finibus tribus Issachar versus Occidentem.
 SEHON, Num. 21. v. 21. & sæpius, hæc Iosue 19. v. 19. etiam *Seon* appellatur: erat autem civitas in tribu Issachar.
 SEIR, Gen. 14. v. 6. & Iosue 15. v. 10. Vide *Mons Seir*.
 SEIRA, 4. Reg. 8. v. 21. civitas in Idumæa, ubi Ioram rex ex improviso oppressit Idumæos.
 SEIRATH, Iudic. 3. v. 26. videtur fuisse civitas in tribu Ephraim, ac in eius ad Austrum finibus.
 SELA, Iosue 18. v. 28. urbs in tribu Benjamin.
 SELCHA, Deut. 3. v. 10. Vide *Salecha*.
 SELEBIN, Iosue 19. v. 42. Vide *Salehim*.
 SELEUCIA, 1. Mach. 11. v. 8. & Act. 13. v. 4. urbs Syriæ, iuxta mare, è regione Cypri insulæ.
 SELIM, Iosue 15. v. 32. urbs in tribu Iuda.
 SELLA, 4. Reg. 12. v. 20. Verisimile est & domum Mello, & descensum *Sella* non alibi fuisse, quam in monte Sion. Non est certum ex Script. utrum locus ille fuerit, ubi descensus terminabatur; vel, an totus ille descensus, *Sella* vocaretur. Locus *Sella* dictus est, quia stratus erat lapide: vox enim Hebræica id significat, à radice שָׁלַל *Salal*, quod est *viam sternere*.
 SELMON, Iudic. 9. v. 48. Vide *Mons Selmon*.
 SEM, Gen. 5. v. 31. & sæpius, verisimiliter primogenitus Noë, cuius filii Gen. 10. v. 22. Elam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. Filiis Elami, Perfidem; Assurii, Assyriam; Arphaxadis, Mesopotamiam; Ludi, Asiam Minorem; Arami, Syriam passim assignant.
 SEMERON, Iosue 19. v. 15. urbs in tribu Zabulon.
 SEMERON, 2. Paral. 13. v. 4. Vide *Mons Semeron* 2.
 SEN, 1. Reg. 7. v. 12. urbis huius situs non potest facile iudicari; tamen cum *Lapis Adijutorii* fuerit in tribu Iuda, ut diximus in *Abenezzer*, ac idem iuxta *Bethsames*, quæ erat in terminis tribus Iuda ad Aquilonem, ut habetur Iosue 15. v. 10. & proxima Philistæorum regioni, ut è 1. Reg. 6. v. 12. colligitur: & rursum è *Bethsames*, terminos tribus Iuda, Iosue 15. v. 10. proximè versus Occidentem producendo, veniatur in Thamma, & hæc in tribum Dan ceciderit, videtur & *Sen* in tribu Dan fuisse.
 SENE, 1. Reg. 14. v. 4. est nomen eminentis petræ, quæ cum *Bofes* altera petra, erat instar dentis eminentis ac prærupti.
 SENNA, Num. 34. v. 4. fuit locus in extremis tribus Iuda, adeo-

adeoque totius Iudææ finibus Australibus, & Iosue 15. v. 3. etiam *Sina* appellatur. Etate S. Hier. ostendebatur villa nomine *Magdalenæ*, quod interpretatur *Turris Senna*, in septimo lapide Iericho, contra Septentrionalem plagam. SENNAAR, Gen. 10. v. 10. & cap. 11. v. 2. Dan. 1. v. 2. campus Babylonis, in qua edificata est turris Babel. Hinc Chaldaeus Paraphraſtes pro terra *Sennaar* ponit terram *Babylonis*. SENNAAR, LXX. Mich. 1. v. 11. aliqui Codices legunt *Senan*, quod voci Hebrææ *Tſanaan* convenit. LXX. & Aquila volunt nomen esse proprium; alii appellativè vertunt, quod fecit S. Hier. qui in exitu dixit. Quod si nomen proprium foret, cum Propheta loco cit. vaticinetur adversus Ierusalem & Iudam, de eo saltem confusè aliquid statui posset. SENNIM, Iudic. 4. v. 11. Vide *Vallis Sennim*. SENSENNA, Iosue 15. v. 31. urbs tribus Iuda. Hanc Nicol. Sanſon confundit cum *Hafarsufim* ac *Hafarsufa*; proindeque vult *Sensenam* postea Simeonitis datam fuisse. SEON, Iosue 19. v. 19. Vide *Sehon*. Etate S. Hier. ostendebatur villa eius nominis iuxta montem Thabor. SEPHAATH, Iudic. 1. v. 17. est nomen regionis, vel urbis, quam tenebant Chananæi. SEPHAMA, Num. 34. v. 10. terminus totius Iudææ Cis-Jordanicæ. Fuit locus ad Minorem Iordanem, inter Iordanis fontes & Semechonitem lacum. SEPHAMOTH, 1. Reg. 30. v. 28. ignotum locum, ex sola coniectura, ponit Bonfr. in tribu Iuda. SEPHAR, Gen. 10. v. 30. Vide *Mons Sephar*. SEPHARVAIM, 4. Reg. 17. v. 24. & frequentius. Esse nomen civitatis, habes 4. Reg. 19. v. 13. & Isai. 37. v. 13. Sed ubi ea civitas fuerit sita, nusquam reperitur. Suspiciatur Bonfr. eam alicubi in Syria, vel Mesopotamia fuisse, sicut *Emath* & *Arphad*, quibus ferè ubique coniungitur. Nicol. Sanſon vult in *Sepharvaim* esse *Anam* & *Aram*. SEPHATA, 2. Paral. 14. v. 10. vallis nomen in tribu Iuda, iuxta urbem *Mareſa* versus extremos fines tribus Iuda, ad Austrum, in qua Aſa rex cum Zara rege Æthiopum conflixit, eumque in fugam convertit. SEPHELA, 1. Machab. 12. v. 38. non videtur esse alia ab ea, quam describit S. Hier. in locis; est scilicet regio iuxta Eleutheropolim, campestris ac plana, quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem. SEPHELA, LXX. 2. Paral. 26. v. 10. & sæpius, ipsi vocem tamquam propriam usurparunt; pro eo autem noster interpretes semper campeſtria habet. SEPHER, Num. 33. v. 23. Vide *Mons Sepher*. SEPHET, Tob. 1. v. 1. verisimilius fuit civitas in tribu Nephthali, & in superioribus Galilææ partibus. SEPHINA, per quam vocem Aquila intelligit Aquilonem. Hanc autem indubiè significat hæc vox appellativè sumpta. SEPHORIS, S. Hier. in toto libro de locis Hebraicis sæpius, civitas Galilææ, cuiusque aliquando caput, ut habet Ioseph. lib. 18. Ant. cap. 3. Dicta fuit alio nomine, Diocæsarea, teste Hier. proœmio in Ionam. Stantur eam quidam distantem à monte Thabor decem milliariis versus Occidentalem plagam. Brochardus eam duabus leucis à Cana Galilææ removet, & totidem à Nazareth. Secundum Calmet hæc civitas Ptolemaide venientibus in Galilæam, prima occurrit. SEPULCHRA CONCUPIſCENTIÆ, Num. 11. v. 34. locus prope montem Sinai in deserto, ubi populus Israël pro Manna carnes concupivit. SEPULCHRUM ABSALOM, 2. Reg. 18. v. 18. alio nomine dicitur *manus Absalom*, & teste Calmet, ostenditur hodie ad Orientem Ierofolymæ, indèque distare 300. pafsibus, dicit Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 9. SEPULCHRUM DAVIDIS, Act. 2. v. 29. quod post Christi Ascensionem adhuc supererat; erat autem in civitate David, ut patet 3. Reg. 2. v. 10. SEPULCHRUM DEBORÆ, nutricis Rebeccæ, Gen. 35. v. 8. ad radices Bethel subter quercum. SEPULCHRUM IESU CHRISTI SALVATORIS NOSTRI, Ioan. 19. v. 41. & sæpius, in Calvario ad Occidentem &

Septentrionem Ierofolymæ, ex petra excisum. SEPULCHRUM MACHABÆORUM, 1. Machab. 13. à. v. 25. usque ad 30. in Modin. SEPULCHRUM RACHEL, Gen. 35. v. 19. inter Ierusalem & Bethlehem, in via, quæ à Ierusalem ducit Ephratam. SER, Iosue 19. v. 35. urbis nomen in tribu Nephthali. Nicol. Sanſon præterdit in nostra Vulgata legendum esse: *Aſſedim-Ser*. SESACH, Ierem. 25. v. 26. & cap. 51. v. 41. quibus in locis pro Babylone ponitur, per modum quemdam Cabalæ. SETIM vel SETTIM, Num. 25. v. 1. & Iosue 2. v. 1. erat locus vel planè idem cum campeſtribus Moab, vel saltem pro parte. SICELEG, Iosue 15. v. 31. attributa tribu Iuda, ac postmodum Simeonitis data, Iosue 19. v. 5. Postea cum in Philistæorum esset confinio, ab iis fuit occupata. Tandem regum Iudææ particularis possessio in ea fuit, 1. Reg. 27. v. 6. SICHAR, Ioan. 4. v. 5. videtur vox, nonnulla vocis corruptione, à *Sichem* deformata. Vide *Sichem*. SICHEM, quæ est *Sichima* & *Salem*, ut supra vide in *Salem*; sita fuit in tribu Ephraim, in monte, ut habetur Iosue 20. v. 7. & cap. 21. v. 21. & 3. Reg. 12. v. 25. & 1. Paral. 6. v. 67. Vox *Sichem*, *humerum*, vel aliquid aliud elevatum significat. Fuit civitas Levitica & refugii, Iosue 20. v. 7. & cap. 21. v. 21. & 1. Paral. 6. v. 67. Excisa fuit ab Abimelech, ut habetur Iudic. 9. v. 45. A Ieroboamo restituta est, ubi & ipse sedem regiam fixit, 3. Reg. 12. v. 25. Postea rursus restituta, dicta est *Neapolis*, seu *nova civitas*, teste Hier. in Epitaphio Paulæ, & in Osee 6. SICHIMA, Iudic. 9. v. 26. & sæpius. Vide *Sichem*. SICYON, 1. Machab. 15. v. 23. apud Authores profanos civitas est Peloponnesi. SIDE, 1. Mach. 15. v. 23. Pamphilicæ verisimilius civitas. SIDON, Iosue 19. v. 28. urbs in tribu Aſer; sed ipsos indè non exclusisse pristinos habitantes, qui erant Chananæi, constat Iudic. 1. v. 31. Distat *Sidon* Tyro versus Boraam, iuxta Strabonem, ducentis stadiis, hoc est Italicis milliariis 25. & Belgicis 19. Aliis tamen hæc distantia videtur nimia: ita, ut Bonfr. tantum inter utramque urbem distantiam 5. aut 6. horarum colloctet. Diu inter Tyrum & *Sidonem* certatum est de imperio, magnitudine, opulentia;emporii celebritate; sed in Scriptura ferè ubique videtur Tyro primæ partes dari, eademque magis celebrari; etsi *Sidon* Tyro fuerit antiquior, & Tyrus Sidoniorum fuerit Colonia. SIDONIA, 3. Reg. 17. v. 9. & Luc. 4. v. 26. regio Sidoniorum urbi Sidoni adiacens & subiecta. SIHOR, Iosue 19. v. 26. locus in tribu Aſer, iuxta montem Carmelum & mare. A nigredine appellatus est *Sihor*: cum *Sihor*, *nigrum* vel *nigredinem* significet. SIHOR, 1. Paral. 13. v. 5. torrens Ægypti, in Scriptura aſſignatus pafsibus Terræ Promiſſæ terminus. Quæ opinio confirmatur ex eo, quod idem torrens in Hebræo Iosue 13. v. 3. שִׁיחֹר *Seichor* appellatur. Vel fortè ipse *Nilus* intelligitur, eodem nomine *Sihor* in Hebr. intitulus, Ierem. 2. v. 18. Etate S. Hier. ostendebatur villa nomine *Sihor* inter Æliam & Eleutheropolim, in tribu Iuda. SILO, Iosue 18. v. 1. urbs in tribu Ephraim. Iudic. 21. v. 19. eius situs explicitè & accuratè describitur. In hac civitate à Iosue & Israëlitis fixum est tabernaculum cum arca, quæ ibidem ad trecentos & amplius annos permanferunt, donec sublata à Philisthæis arca, non diu post etiam tabernaculum foederis in Nobe migravit. SILOE, Isai. 8. v. 6. fons idem, qui *Gihon* dicitur 3. Reg. 1. v. 33. Fuit & *Natatoria Siloe* iuxta montem Sion, in ipso ferè angulo Orientali & Meridionali, piscina videlicet in quam derivabantur fontis Siloe aquæ. Ab hac piscina totus ille locus, qui erat iuxta piscinam ad radices montis Sion, dictus est etiam *Siloe*, ut videtur colligi ex verbis Lucæ 13. v. 4. Calmet *Siloe* confundere vult cum *Fonte Rogel*, sive *Fulonis*, Iosue 15. v. 7. & sæpius, cuius opinio non est infundata. SIMEON, uade Simeonitarum una ex 12. tribubus, quæ to-

ra ferme ex tribu Iuda excerpta est, & Iosue 19. describitur. Philisthæis fuit vicina, quæ in deserto, sive *Idumæam*, & in Ægyptum itur. SIN, Exod. 16. v. 1. & cap. 17. v. 1. & Num. 33. v. 11. desertum inter mare rubrum & montem Sinai, in quod venerunt filii Israël primo anno egressione ex Ægypto, estque ab Occidentali parte *Idumææ*. SIN, Num. 13. v. 22. & cap. 20. v. 1. & cap. 27. v. 14. & cap. 33. v. 36. & cap. 34. v. 3. & Deut. 32. v. 51. erat desertum iuxta Cades ab Orientali plaga *Idumææ*, in quod venerunt Israëlites quadragesimo tantummodo anno egressus ex Ægypto. Hæc duo deserta, quamvis in nostra Vulgata, quantum ad descriptionem non differant, in Hebræo tamen facile discernuntur: prius enim שִׁן *Sin* dicitur; posterius שֵׁן *Tsin* nuncupatur. SINA, Iosue 15. v. 3. Vide *Senna*. SINA, Iudith 5. v. 14. Eccli. 48. v. 7. Ag. 7. v. 30. & v. 38. & in Ep. Gal. 4. v. 24. & 25. quibus in locis pro *Sinai* sumitur. Vide *Sinai*. SINAI, Exod. 16. v. 1. Vide *Mons Sinai*. SINAI, Exod. 19. v. 2. & sæpius. Desertum. Vide *Mons Sinai*. SINEUS, Gen. 10. v. 17. octavus filius Chanaan, cuius posterii apud Arabes incolunt Tripolim in Phœnicia, secundum Calmet. SION, 2. Reg. 5. v. 7. Vide *Mons Sion*. SIOR, Iosue 15. v. 54. urbs in tribu Iuda. SIRA, 2. Reg. 3. v. 26. cisternæ nomen. Vel etiam iuxta Nicol. Sanſon, caltrum erat. SIS, 2. Paral. 20. v. 16. clivus in tribu Iuda & deserto Thecudè, ut ex adiunctis circumstantiis eo loco recensitis, colligitur. SMYRNA, Apocal. 1. v. 11. & 2. v. 8. urbs in Asiæ Minoris littore, etiamnum nomen retinens. SOBA, 1. Reg. 14. v. 47. & sæpius, eadem pars Syriæ, quæ Iudith 3. v. 1. & pluries *Syria Sobal* nuncupatur. Habebat hæc Manafitas trans Iordanem contiguos ad Austrum, & ad Septentrionem Damascenos. Erat igitur in primo è Iudæa in Syriam aditu, ut patet ex 2. Reg. 8. v. 3. & 1. Paral. 18. v. 3. Videtur etiam extendi ad radices Antilibani, cis Iordanem, in Emath usque, ut iterum colligitur ex 1. Paral. 18. v. 3. & 2. Paral. 8. v. 3. SOBAL, Iudith 3. v. 1. Vide *Soba*. SOCCOTH, Num. 33. v. 5. Vide *Socoth 2.* SOCHO, Iosue 15. v. 35. civitas campestris tribus Iuda. Eadem 1. Reg. 17. v. 1. *Socho Iudæ* appellatur. Fuisse illam iuxta Ramatha & terminos tribus Ephraim, colligitur ex 1. Reg. 19. v. 22. iuxta hanc urbem contigit certamen David cum Goliath, 1. Reg. 17. v. 49. Præterdit Euseb. duos fuisse viculos *Socho* dictos, inter Æliam & Eleutheropolim, unum in monte, alterum in campo situm. SOCHO, 3. Reg. 4. v. 10. civitas in tribu Zabulon. SOCOTH, Gen. 33. v. 17. locus iuxta torrentem Iaboc, trans Iordanem, in quo Iacob è Mesopotamia redux, edificata domo, fixisque tentoriis, primum confedit. Fuit eo loco postmodum edificata civitas, quæ idem nomen retinuit, ac in tribu Gad fuit, Iosue 13. v. 27. SOCOTH vel SOCCOTH, Exod. 12. v. 37. & Num. 33. v. 5. locus, in quo prima nocte & mansione, Israëlites ex Ægypto egressi tabernacula fixerunt, in extremis ferè Ægypti, iuxta Mesopotamiam finibus. Uterque ita dictus est à tabernaculis: סוּכּוֹ *Succoth* enim, vel *Socoth*, tabernacula significat. SOCOTH, Iosue 15. v. 48. urbs in tribu Iuda, quæ à prioribus in eo distinguitur, quod in initio per שׁ in Hebræo scribatur. SOCHOTHBENOTH, 4. Reg. 17. v. 30. Calmet vult vocabulum geminatum significare *rentoria* seu *prostituta puellarum*. Rabini interpretantur *pullos & gallinas*. S. Hier. & Euseb. nomen urbis in Samaria conditæ videtur intelligere. Bonfr. præterdit esse idoli nomen. SODI, Baruch 1. v. 4. flumen in Babylonia. SODOMA, Gen. 13. v. 12. & sæpissimè, Metropolis Pentapoleos exiitæ, in qua Lot degit, quæque nefandissimo

peccato Sodomitico nomen dedit. SOPHAN, Num. 32. v. 35. urbs in tribu Gad, eadem quæ Iosue 13. v. 27. *Saphon* legitur. SOPHIM, 1. Reg. 1. v. 1. Vide *Ramathaim Sophim*. SOR, LXX. Ezech. cap. 26. & cap. 27. aliàs ubi in Hebræo ponitur שֵׁן *Tſor*, verterunt ipsi Tyrum, prout etiam noster Interpres. Vide *Tyrus*. SOREC, Iudic. 16. v. 4. Torrens vel vallis fuit in tribu Dan, in qua & patria Samsonis erat. Attamen & per Philisthæos in mare Torrens decurrit, ut colligitur ex loco citato. SPARTIATÆ, 1. Mach. 12. v. 2. aliàs Lacedæmonii, incolæ Reip. illustris in Græcia, cuius Metropolis erat *Sparta*, quæ postmodum Lacedæmonia est dicta. SPECULA, 2. Paral. 20. v. 24. nomen est ibi certi loci; aliàs locum eminentem significat, in quo vigiles poni solebant. Hebræus loco citato legit *Mizpha* sive *Misphe*, in deserto, & facile conveniet cum *Mespha* urbe Benjamin, Iosue 18. v. 26. SPELUNCA DUPLEX, Gen. 23. v. 17. & seqq. eam emit Abraham, in eaque sepultus est post uxorem suam Saram, Gen. 25. v. 9. ibi sepulti sunt Iacob, Isaac cum Rebecca coniuge sua, ibique condita est Lia. SPELUNCA LOT, Gen. 19. v. 30. in monte prope Segor, in quam se Lot recepit post Sodomæ aliarumque civitatum exustionem, &c. STAGNUM GENESARETH, Luc. 5. v. 1. Vide *Mare Genesareth*. SUAL, 1. Reg. 13. v. 17. quantum est ex *Ephra*, quæ illi coniungitur, colligitur quod fuerit in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanica, in qua & Ephra, patria Gedeonis, fuit. SUHITA, Iob 2. v. 11. vocatur *Baldad* ad amicis Iob *Subites*. Nicol. Sanſon ponit *Subites* nomen proprium loci. Calmet autem facit ipsum *Baldad* unum ex posteris Sue, filii Abraham ex Cetura. SULAMITIS, Cant. 6. v. 12. apud Sept. Σουαμίτις: unde denominatione facta videtur à *Sunam*. SUNAM, 1. Reg. 28. v. 4. sive *Sunem*, civitas in tribu Issachar, ex qua erat Abisag Sunamitis, 3. Reg. 1. v. 3. & seqq. & per *Sunam* sæpe transibat Elifæus, hospitiæ suæ Sunamitidi filium obrinuit, eumque postea mortuum ad vitam revocavit. Querit Calmet num Sulamitis, Cant. 6. v. 12. non sit ad litteram *Sunamitis*. SUNEM, Iosue 19. v. 18. Vide *Sunam*. SUPH, 1. Reg. 9. v. 5. terra ita dicta prope Ramatha. SUR, Gen. 16. v. 7. & frequentius, desertum, vel pars deserti Arabiæ Petrææ, quæ extremitati maris rubri & Ægypto vicinior est; extenditur verò versus Aquilonem ad terminos Australes Terræ Promiſſæ. SUR OREB, LXX. Iudic. 7. v. 25. Vide *Petra Oreb*. SUSA, 2. Esdræ 1. v. 1. urbs, ut patet ex libro Esther, celeberrima in Perside, eiusque Metropolis. In hac, sita trans Tigrin, Cyrus & Perfarum reges, subactis Medis ac Babylonia, regiam sedem collocarunt. SYENE, Ezech. 29. v. 10. & cap. 30. v. 6. turris Ægypti in extremitate Thebaidis & confinio Æthiopiæ, subacta tropico Cancrici. SYRACUSA, Ag. 28. v. 12. urbs Siciliæ amplissima & opulentissima. SYRIA, Gen. 28. v. 2. Asiæ regio celeberrima, nota, ac latè patens, in varia tamen membra seu partes in Scriptura divisa: legitur enim, Iudith 3. v. 1. & 14. *Syriam Sobal*, 1. Paral. 19. v. 6. *Syriam Mancha*. 2. Reg. 8. v. 5. & 6. *Syriam Damasci*, 2. Reg. 10. v. 6. *Syriam Rohob*, Gen. 28. v. 2. & sæpius *Mesopotamiam Syriam*, quæ in Hebræo est *Syria* duorum fluviorum, inter Tigrin & Euphratem: hæc autem videtur esse *Syria Mesopotamiae*, de qua Iudith 3. v. 1. Romanis Syriam integram occupantibus, præfæs Syriæ fuit Cyrinus, qui Cæsaris Augusti edictum promulgavit, ut describeretur universus orbis, Luc. 2. 2. &c. SYROPHONISSA, Marc. 7. v. 26. mulier erat, quam S. Matth. 15. v. 22. Chananæam vocat. Putat Nicol. Sanſon ipsam verè fuisse genere Chananæam, & habuisse domum in con-